

~ UNIVERSIS et singulis Christi-fidelibus pntes sras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Licet is de cuius munere uenit ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter seruiatur, de abundantia sua pietatis, que merita supplicum excedit, et vota bene seruientibus sibi multo maiora retribuatur, quam ualeant promereri. Nos tamen desideramus domino Populum reddere acceptabilem et bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad diuini muneris susceptionem quibusdam quasi affectiuis muneribus, indulgentijs scilicet et remissionibus inuitamus. Et saluatoris presertim nri Jesu Christi doctrinam et uestigia imitari cupientes, qui cunctis semper fidelibus tam exemplo, quam salutaribus disciplinis pauperum et religiosarum personarum in humilitatis Spiritu altissimo famulantium curam precipuam commendauit ad sustentationem religiosarum personarum studia nra libenter conuertimus. Et ut potiora ipsis presidia proueniant fideles quoslibet, quos in celesti patria collocari cupimus, ad hec et alia pia opera spiritualibus gratijs et muneribus benigne inducimus. Sane accepimus quod Capitulum generale fratrum ordinis Carmelitarum in Ciuitate Paduanam proxime celebrandum est, ubi tum propter inopiam et religiosam domus eiusdem ordinis paupertatem, fratres, qui inibi multi et y doctrina, uirtute, studijs, et zelo religionis ac fidei prestantia conuenire debent commode et honeste sustentari nequeunt. Nos igitur, qui cupimus ut dictus ordo, qui in vinea domini fructus uberes affert, temporalibus etiam sustentatur auxilijs, fidelesque ipsi eo libentius ad sustentationem ipsorum fratrum Capituli manus porrigant adiutricas, quo se ex hoc maiora senserint spiritualia beneficia percepturos. De omnipotentis Dei misericordia ac beatorum apostolorum eius Petri et Pauli auctoritate confisi, omnibus Christi-fidelibus uere penitentibus et confessis, qui a meridie quinte ferie maioris hebdomade proxime future usque et per totos tres dies immediate sequentes uidelicet die ueneris et sabati sancti, et resurrectionis dominice usque ad occasum solis Eccliam sancte Marie dicte domus eiusdem ordinis et Ciuitatis deuote uisitauerint seu uisitari fecerint, Et per se uel per alios pro dicti Capituli sustentatione manus porrexerint adiutricas, ac ante Altare maius dicte Ecclie ter orationem dominicam et totiens salutationem angelicam pro conseruanda pace et beneuolentia inter Christianos Principes, ac comprimendis Christiane religionis hostibus, illisque et hereticis ad fidem et sanctam matrem Eccliam reuocandis flexis genibus recitauerint, plenariam omnium suorum peccatorum remissionem, ac anni Jubilei indulgentiam de benignitate apostolica tenore presentium concedimus et elargimur. Et insuper ut Christi-fideles hmoi, qui ad eandem Eccliam prefato tempore, ut prefertur, confluent, conscientie pacem et animarum salutem Deo propicio consequantur, et indulgentie huiusmodi melius participes esse possint, benignius agere uolentes. Generali dicti ordinis uel quibus ipse commiserit concedimus, ut dicto tempore in Ecclia supradicta aliquot patres dicti ordinis presbiteros deputare et instituere possint, qui ualeant auctoritate apostolica quoscunq; Christi-fideles auditis eorum confessionibus ab omnibus censuris ac quantuncunq; grauibus et enormibus sceleribus absoluerent, etiam si talia essent, propter que sedes apostolica merito esset consulenda, contentis in Bulla cene domini duntaxat exceptis. Vota uero per eos emissa ultramarino, uisitationis liminum apostolorum Petri et Pauli de urbe, ac sancti Jacobi in Compostella, necnon religionis et castitatis uotis duntaxat exceptis in auxilium dicti Capituli seu in alia pietatis opera committente libere et licite ualeant etiam auctoritate apostolica tenore presentium licentiam et facultatem concedimus. Non obstantibus quibuscunq; constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Cancellarie apostolice regulis, ac similibus indulgentiarum etiam pro Cruciatu quibuscunq; suspensionibus aut reuocationibus per nos aut predecesores nros factis aut faciendis, a quibus omnibus, quotiens ille emanauerint, istas exemptas fore statuimus, ac contra illas in pristinum semper statum reponimus, ceterisque contrarijs quibuscunq;. Insuper decernimus presentium transumptis manu Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius persone in dignitate ecclesiastica constitute munitis plenam ubiq; fidem adhiberi, ac si ipse originales hec exhiberentur. Presentibus pro dicto tempore et non ultra ualituris. Datus Rome apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 11. Martij. M D XXXII. Pontificatus Nostri Anno Nono.

Cuabata.

Istituto Campana Osimo ®

*Handwritten purple ink notes and a circular stamp on the right edge of the document.*